

Ad Illustrem & Clarissimum virum,
IOANNEM BARVITIVM S^r.
CÆSARÆ MAIESTATI A CON-
siliis, & secretis intimum,

P R A E F A T I O.



QVONIAM primum de Recentioribus Mundi Ætherei Phœnomenis Tomum, sub Progymnasmatum Astronomicorum Titulo, S. Cæsareæ Maiest. auspiciis, non ita pridem emissum, eâ ab Eruditis (idque merito suo) gratiâ affectum viderim, Vir Illustris & Magnifice, vt quò quis per Europã vniuersam Mathematicum peritior extitit, eò feruentius illum exceperit, & probârit impensius; haut mihi committendum existimaui, vt vel stationem, in quâ Cæsareæ Maiest. inclyto & augusto suffragio, quoad reliquorum maturationem, me constitutum sentio, deseruisse; vel segnius saltem, dum ad **TABULARVM RVDOLPHEARVM** perfectionem (opus cum primis arduum) accingimur, subcisiuas horas collocasse videar.

Quamobrem operę precium me facturum ratus sum, si tantisper, dum reliqua, annuente Numine pertexuntur, aliquid vigiliarium soceri L.^r mem:^r arrhabonis loco subinde præmifero; eoquę pacto lectori forsan conceptum expectationis tædium aliquatenus levâro. Cùm autem opus hoc Cometographicum primùm Vraniburgi, dein Pragæ extremam jam Typographi manum sensisset, non diu mihi fuit hæsitandum, cuius potissimum auspiciis

X 2

in pu-